



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

De festo Natiuitatis & Assumptionis Mari[a]e.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

Chrysoſtomus Hom. 6. in 1. ad Tim. ſcribit, *Nouerunt fideles, quomodo diebus ſingulis, manè & vesp̄ri preces fundantur ad Dominum, &c.* In Actis Concilij Agathenſis, Can. 30. trium conuentuum mentio fit, nempe præcum matutinarum, Miſſæ ad horam tertiam, & vesp̄ertinarum. Atque vānam res eò reduci poſſent, vt quotidie bini vel terni ſacri conuentus in ciuitatibus cogi poſſent, in quibus Deus in ſpiritu & veritate inuocaretur. Ordinatum quidem eſt in Concilio Agathenſi, vt de Celebratione Miſſarum cap. allegat. vt Sacerdos procuret, quò vel ipſum, vel per Scholaſticos, Prima, Tertia, Sexta, & Nona, Vesp̄ertinæ quoque debitis horis publicè peragantur: annexum tamen eſt, iuxta poſſibilitatem. Verum homines iſti perpetuò inanes ceremonias reſpiciunt, quod tamen abominatio eſt in conſpectu Dei.

Postremò quod Aduerſarij rursus dicunt, Nos non poſſe ſolos aliquid in hiſce Canoniciſ horis mutare, ad hoc ſæpius iam reſponſum eſt. Totum Epiſcopale munus adminiſtrandum demandatum eſt, quare tenemur omnes ritus Eccleſiaſticiſ ad pietatiſ propagationē inſtituere.

Triceſima Accuſatio.

De diebus feſtiſ, De feſto Natiuitatiſ & Aſſumptiōniſ Mariæ.

CAP. CXIX.

HA duas habet parteſ: Prima eſt de eo, quod Liber non tot dieſ feſtoſ ordinariſ, quot apud Aduerſariōſ vulgò ſūt in vſu: imprimiſ quod feſta Natiuitatiſ & Aſſumptiōniſ Mariæ prætermiſiſ: feſtiſque diebus Apoſtolorum pomeridiano tempore ad laboreſ redire permittit. Contra quod Concilia & Patreſ obiiciunt.

Hoc loco debebant etiā indicare, quid antiqui Patreſ ferieſ appella- uerint, Eas enim ſoſaſ pro Chriſtianiſ ferieſ habuerunt, quando ſemetipſum homo ab omnibuſ corporalibuſ & mundaniſ negociiſ, in hunc ſinem ſubducit, vt in S. cœtibuſ, & aliãſ verbo Dei, Sacramentiſ & Orationiſ liberiuſ vacare poſſit. Vteriuſ ocium nunquam docuerunt. Iam verò per ſuperſtitiōſaſ actioneſ in Eccleſiſ diebuſ feſtiſ, reſ in Ethniciſ iſtum abuſum peruenerunt, vt populuſ nullo tempore omniſ generiſ immodestia, & intemperantia, Deum grauiuſ offendat, quàm diebuſ feſtiſ: ad quem ſanè non decet vt Chriſtianiſ Epiſcopuſ conſueat. Porrò quantum attinet ad ocium à corporalibuſ laboribuſ, cùm nihil de eo neque in Conciliſ decretum, neque à S. Patribuſ præceptum ſit, quæ tandem cauſa fuit Aduerſariſ, vt noſ propterea reprehenderent, quod ſubdituſ noſtriſ permittimuſ, vt in quibuſdam diebuſ feſtiſ vtile quid laboreſ: præſertim pomeridiano tempore, quo plerumque vino & comotationibuſ homineſ indulgent, vel in alia ſcandalofa negocia ſe ingerunt.

Quod ad feſta Natiuitatiſ & Aſſumptiōniſ Mariæ attinet, conſtat

neutrū eorum temporibus Augustini & Hieronymi in usu fuisse: quod facile cuius animaduertere potest ex enumeratione festorum, quæ partim habentur apud Hieronymum in quartum caput ad Galatas: partim apud Augustinum ad Ianuarium, Epist. 118. & C. de feriis, lib. 2. 3. 7. 10. In istis locis non plura festa recensentur, quam Natiuitatis, Epiphaniæ, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis Domini, missionis Spiritus Sancti, memoriæ Petri & Pauli: & in qualibet Ecclesia eorum Martyrū, qui excellentiores & celebriores erant. Quamuis nullibi mentio fit, quod in eiusmodi diebus, quibus memoria beneficiorum Dei, & Sanctorum Martyrum celebratur, quo tempore populus in Ecclesiam conuenire solet, ab vtilibus laboribus. Omnes autem profanæ, & ad ædificationem nihil pertinentes recreationes & ludi, vt sunt spectacula, & id genus alia, diebus festis sunt prohibita: actiones item forenses, & negociationes, sicut & in Decretalibus, de feriis. Quare computationes, alex, & reliquæ vanitates multò magis interdici debent. Verùm de hoc parum solliciti sunt Aduersarij. Deinceps conantur probare, quod hæc duo festa Natiuitatis, & Assumptionis Mariæ fuerint temporibus Augustini: idque ex antiquis homiliis, & sermonibus de iisdem festis.

Hoc loco rursus cuius Christiano perspicuum est, quod Aduersarij contra propriam conscientiam hoc argumentum producant. Probè enim sciunt, quod nullam possint Homiliam proferre, quã ipsi agnoscant esse vel Augustini, vel Hieronymi: Legatur quid Erasmus cum veritate de eo libello iudicauerit, qui de Assumptione Mariæ compositus, & D. Hieronymo perperam attributus est. Item de eo, qui titulo Augustini inscriptus est, vnà cum Sermonibus. Eadem omnino ratio est & Sermonum de Natiuitate Virginis, quod festum est adhuc recentius.

Uterius ratiocinantur Aduersarij, dicentes, Si equum est, solemnem agere diem natalitium Ioannis Baptistæ, qui tantum minister, nuncius & præcursor fuit Christi. Quanto æquius celebremus diem natalitium Sanctissimæ Virginis Mariæ, quam Deus ab æterno in Sanctissimam & Immaculatissimam matrem vnigeniti Filij sui, Domini nostri præordinauit.

Responsio.

Quare non igitur sollemnis dies Passionis Christi, quemadmodum Apostolorum & Martyrum? Perpende, Christiane Lector, qualis diuinarum rerum peritia in hoc argumento se exerat. Num indigent sancti nostra feriatiōe, ac celebratione in diebus festis. Quid utilitatis aut emolumenti ex nostro ocio, celebrationeque festorum percipiunt? *Magnificat anima mea Dominum* (canit Maria Mater Domini, & cum ea omnes sancti in cœlis) & *exultauit Spiritus meus in Deo saluari meo.*

In hunc finem instituenda sunt, & obseruanda festa, vt beneficia Dei melius agnoscamus, meditemur, ac prædicemus: fidem nostram in Christum, & nouam diuinamque vitam confirmemus ac prouehamus, in eo

in eo quod ex animo in Domino conuenimus, summa deuotione uerbum eius audimus, Sacrosancta sacramenta percipimus, preces fundimus, Dominum celebramus, munera nostra offerimus: cuius rei gratia festis diebus ab omnibus aliis occupationibus quiescere, & illis exercitiis nos totos ex animo dedere debemus. Porro cum Christus miracula sua, beneficia, & initium salutis nostrae in Natiuitate Iohannis non modo tam insigniter operatus sit, uerum etiam per Euangelistam Lucam copiosissime scripto consignari uoluerit: de Natiuitate uero matris suae nihil eiusmodi reuelauerit: & Ecclesia Christi (quemadmodum in secundo sermone, ex his qui D. Augustini nomine circumferantur, Christiane positum est) Apocrypha, hoc est, incerti auctoris scripta non modo non admittat, sed ne quidem agnoscat, maiores sane magisque rationabiles causae existunt, festa celebrandi Natiuitatis Ioannis, quam Mariae: cum Dominus gratiam suam, & miranda salutis nostrae opera de Natiuitate Ioannis copiosius ac per fide dignos testes suos certius memoriae prodi uoluerit, quam de Natiuitate matris suae. Domino enim festa celebranda sunt, non sanctis: atque idcirco ex instinctu ipsius, & traditione suorum operum.

Consimili modo cum de ministerio Apostolorum in salute mundi certam habeamus in S. literis mentionem, causam quoque habemus dies eorum solemnes agendi, ad diuina miracula, propter omnium nostrum salutem edita (omnino enim per Apostolos Sacrosanctum Euangelium accepimus) tanto solennius celebranda, ac maiori cum fructu meditando. An uero memoriae Apostolorum praecise debeant illis diebus obseruari, quibus ex hoc saeculo emigrarunt, de eo nihil certi extat. Unde est, quod nec Ecclesia Christi quicquam hac de re tradere uoluerunt. Quapropter in recentioribus quoque ordinationibus hymnorum & precum Ecclesiasticarum ad dies Apostolorum, nihil aliud, quam quod scriptura de illis commemorat, proponitur.

Et quamuis ueteres iudicant, memoriam Apostolorum & Martyrum iisdem diebus, quibus ex hac uita excesserunt, celebrandam esse, id tamen non ea intentione fecerunt, quasi totum migrationi cultum aut honorem praestare uolentes. Sed quoniam uirtus misericordiae Dei, in eorum ex hac uita discessu, fortique & infracta nominis sui confessione per mortem, & martyrium eorum clarissime eluxit, & ne talium dierum memoria oblitteraretur, cuius rei gratia Cyprianus diligentissime eos sibi annotari curauit, eiusmodi memorias miraculorum Dei, in sanctis suis editorum, libenter in ipsis diebus, quibus hanc uitam reliquerunt, celebrarunt.

Iam uero de discessu Mariae nulla extat Catholica historia, quemadmodum paulo ante citatus sermo uerissime testatur. Quare non est, ut multa de eo predicemus, aut festos dies instituamus.

Interim Christianus dubitat, gloriosissimam matrem Domini uiuere cum cum dilecto Filio suo in aeterno ac caelesti gaudio. Tamen quoniam non reuelauit Dominus, quomodo eam ad sese receperit, neque nobis conuenit, curiose de eo perquirere, aut festa & solemnitates insti-

tuere. Veritatis Filij sumus, Filij Dei, ex verbo eius renati, ex quo solo viuimus: in quo manere, nihilque vel addere illi, vel ab eodem auferre debemus: cum nemo melius ac fidelius nos docere possit, quam ipse Dominus?

Atque haud dubiè, quod Dominus noluit plura de stupendis miraculis, in charissima matre sua editis, per Euangelistas memoriae prodi, idcirco factum est, ne idolatriæ, quam sub prætextu venerationis eius subirrepturam præcognouit, occasionem & ansam præberet. Propter eandem causam tam duriter eam allocutus est, Mulier quid mihi tecum rei est? Ioan. 2. Et, Ecce mulier Filius tuus. Item, Quæ est mater mea, &c. Etiam si enim sanctissima virgo Maria, Seruatorem nostrum corporaliter peperit, ipse tamen est, qui & eam, & omnes homines creauit, redemitque, quem solum & nos, & ipsa adoramus, & tanquam Deum, atque vnicum Seruatorem nostrum colere & inuocare debemus.

Tripartita historia Ecclesiastica, lib. 9. c. 38. testatur, neque Dominum, nec Apostolos quicquam de festiuitatibus legali modo docuisse, vel poenam in earum transgressorem constituisse, quemadmodum lex Moysis. Sed quoniam diligunt homines huiusmodi celebritates, propterea quod in eis à laboribus requiescunt, ex quadam consuetudine memoriã salutaris passionis, ac gloriosæ resurrectionis Christi, ac deinceps alias festiuitates instituisse. Intentionem enim Apostolorum non fuisse de diebus sancire festiuitatem, sed conuersionem rectam, & Dei prædicare culturam. Quoniam autem Dominus vult, & ad ædificationem plurimum adiumenti adfert, vt solemnem commemorationem agamus mirabilium beneficiorum suorum in electis suis hominibus, idem etiam de gloriosa matre eius nobis faciendum est. In hoc verò verbum eius imitandum nobis est: ac de certis miraculis, sin verbo eius nobis traditis, non de stultis hominum figmentis, festa instituenda. Quapropter tres insignes memorias B. Virginis, vel potius insignium miraculorum Dei in ipsa editorum, ordinauimus. Primum, Quomodo facta sit Mater Domini, In festo Annunciationis. Alterum, quomodo locupletia dona Dei, apud S. Elizabetham declarauerit ac prædicauerit. Tertium, Quomodo dilectum Filium suum in Templo obtulerit, & vaticinium de regno Filij sui, ac propria cruce à Simeone audierit.

Hæc miracula sua curauit Dominus ipse per Euangelistas suos scripto consignari. Figmenta verò de Natiuitate, eiusque ex hac vita excessu, nullum veritatis fundamentum habent. Quamobrem quicumque Christum Dominum rectè nouit, & veram matris eius venerationem intelligit, is rogabit Dominum, vt memoriam sanctissimæ virginis, in diuinis ac certo cognitis operibus suis celebrare, hominum verò commenda libenter dimittere possit.

Quare cum ita colligunt aduersarij, Ecclesiæ Christi dies illos quibus Apostoli ex hoc mundo migrauerunt, festos agunt, Quanto magis

magis igitur diem illum, quo nunquam satis laudata virgo Maria secundum carnem obdormiuit, celebramus? ita illis respondendum est. Primum Ecclesie Christi memorias Apostolorum celebrant in iis operibus Dei, quae scriptura de eis commemorat, non autem, quomodo ex hoc mundo migrarint, qua de re nulli fit in Scripturis mentio. Porro quod Martyrum memorias libenter in illis diebus celebrant, quibus eos ex hac vita discessisse certissima testimonia extant, in causa est, quod opus gratiae Domini in eorum exitu clarissime eluxit. Quamobrem cum Dominus de gloriose Matris suae ex hac vita emigratione, operibusque gratiae suae, in ea demonstratis, nihil reuelauerit: alia vero maxime illustria opera gratiae in ea praestita, patefecerit, merito solemnitates ac festa celebramus eorum operum Domini in carissima matre sua, quae nobis certo cognoscenda tradidit: hominum vero commenta, de iis operibus Dei, quae nos latere voluit, praetermittimus.

Non est dubium, quin gloriosa Mater Domini beatè ab hoc seculo migrarit, & in caelum assumpta sit. Verum cum hac de re Dominus nihil nobis aperuerit, quomodo videlicet id contigerit, quae peculiaria miracula circa illius exitum euenerint, causam sane nullam habemus, multa hac de re vel confingendi, vel ab aliis conficta recipiendi. Mater Domini Dominum corporaliter enixa est, quare oportet, ut circa eam omnia sint plena miraculis, & festiuitates celebrentur de omnibus, quae circa eam euenerunt. Si enim id, quod ad carnalem Domini partum subministravit, aliquam praeter ceteris omnibus sanctis praecellentiam in omnibus rebus adferret: necesse esset parentes quoque Mariae suo modo omnibus aliis sanctis antecellere: & opera Dei in illis impleta, reliquis omnibus operibus, quae Deus in aliis sanctis operatus est, praestantiora & excellentiora esse. Verum id non est ita, sicut scriptura de nonnullis aperte testatur. Unde etiam Dominus ad Matrem suam, (Mulier) dicit, & non (Mater) quando iuxta officium Christi cum ea loquitur. Merito etiam sanctior praedicatur Diua Virgo, quod Dominum per fidem in corde, quam in corpore concepit. Dominus post resurrectionem suam Mariae Magdalenae se manifestauit, ei que praecipit, ut resurrectionem suam Apostolis annunciarerit. Iam vero dubitandum quidem non est, eum carissime quoque matri suae apparuisse: tamen non docet, ut rationis nostrae coniecturis, hac de re multa fingere, vel peculiaria festa instituere velimus, quemadmodum quidam tentarunt facere, de Compassionibus & Gaudiis Mariae. Omnia miracula & beneficia Dei in Maria, sicut in omnibus sanctis, mera sunt opera clementiae & bonitatis diuinae, quae meditari, ac festa de illis instituere debemus, prout sunt à Domino manifestata, & ad corroborationem fidei, ac fiduciae in Christum, non

in sanctos conducunt. Lux verbi Dei omnibus in rebus imitanda est, nullibi verò humanorum signentorum tenebræ & caligo.

Postremò quod D. Augustinum citant in sermone quodam, ubi meminit, suo tempore memoriam D. Laurentij celebrari solitam, atque inde inferunt, totam diem fuisse in solemnitatem D. Laurentij impensam, id non magis sequitur, quàm quod hoc tempore omnium illorum sanctorum dies solemniter cultu celebrentur, quorum in choralibus officiis suis meminerunt. Hactenus de diebus festis.

Tricesima prima Accusatio.

De Ieiunio, & delectu Ciborum.

CAP. CXX.



In hac Accusatione nihil aliud agunt Aduersarij, quàm probant antiquos Christianos partim ab esu carnum in vniuersum abstinuisse, plarumque verò in sola Quadragesima.

Huic nemo contradicit. Interim tamen (verum est, vt & supra indicauimus, Dominum id nullibi præcepisse, sanctos verò Patres acerrimè eos reprehendisse, qui abstinentiam, delectumque ciborum ex natura sua magni æstimarunt, non autem in eum finem præcipuè direxerant, vt caro ad seruiendum Domino, non modo humiliaretur, Verum etiam promoueretur.

Iam verò Aduersarij de sua à carnibus, & animalibus terrestribus, volatilibusque abstinentia, mirum in modum gloriantur, cum interim delicatissimis optimorum piscium carnibus sese oblectent, nihilque minus, quàm ieiunent, & castigent corpus. Verum hac de re supra satis dictum est.

Tricesima secunda Accusatio.

De Gazophylacio.

CAP. CXXI.



Contra Gazophylacium est instituta hæc Accusatio, imprimis verò propter conductas Missas. Dicunt prudenter expendendum esse, vtrum Ecclesiastica bona, quæ ab hominibus eò destinata sunt, vt ipsorum defunctorum pie & sanctè habeatur memoria, liceat in eleemosynas conuer-

tere.

Resp.